



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Per quem, & quomodo Prælatorum regularium negligentia in conferendis beneficiis vel præsentando ad illa suppleatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

gandi moram licentia, uti tradit *Gloss. fin. in relat. capit. licet* (Canon enim latae sententiae, qualis est hic privationis, & devolutionis, habet in se executionem, ut omnia declarari debeant irrita, quae contra talem canonem acta fuerunt) quamvis per patientiam, vel ex misericordia tolerari possit, statuente Pontifice, si mox elapso tempore, electio vel collatio ab ordinatis facta fuerit *c. litteras 4. h. 1.* talis enim à Papa concessa expressa tolerantia, jus in beneficio tribuit, & vim novae provisionis habet. Dixi tamen regulariter hoc fieri, quod si enim ad Episcopum jure proprio collatio beneficii spectet, & in hoc conferendo ultra tempus à jure concessum ille sit negligens, devolvitur collatio hujus beneficii ad Capitulum Cathedrale, quamvis hoc inferius sit Episcopo, propter communicationem scilicet quae est inter Episcopum & Capitulum tanquam caput, & membra ejusdem corporis, ut merito unius defectus per alterum suppleatur juxta *relat. c. 2. de concess. prabend.* prout solum etiam Capitulum conferre potest, in casu, quo collatio beneficii alicujus conjunctim ad Episcopum, & Capitulum pertinet, si monitus Episcopus de tempore collationis faciendae moram inutilem trahat. Quod si tamen in tali casu, quo ad Episcopum scilicet & Capitulum collatio beneficii pertinet, utrumque negligens sit, ultra tempus à jure concessum ad collationem, devolutio fit ad horum immediatum superiorem, sicuti etiam in casu negligentis Episcopi circa beneficia jure devolutionis ad ejus collationem spectantia, prout desumitur ex *c. 2. de concess. prabend.*

§. II.

Per quem, & quomodo Pralatorum regularium negligentia in conferendis beneficiis vel presentando ad illa suppleatur?

Casu quo Pralati regulares, ad quos beneficiorum collatio, aut praesentatio spectat, intra spatium à jure concessum, saecularia, vel regularia beneficia non conferant, aut ad ea non praesentent, tum si Episcopo subiecti sint, aut saltem, illis exemptis, beneficia, jus conferendi talia ad eum Episcopum devolvitur, in cujus diocesi beneficium vacans situm est: si vero exempti sint tam ipsi, quam beneficia, circa quae conferenda negligentiam admittunt, jus conferendi, immediate ad Pontificem devolvitur, prout statuitur in *Clement. un. h. 1. & cum singula 32. §. prohibemus de prabend. in 6.* ita tamen ut hic, ad quem devolutio facta est, eodem jure uti debeat, quo uti potuit ille, cui succedit, easdem observando qualitates, & conditiones.

§. III.

Quomodo, & per quos in aliis, praeter beneficiorum collationem, negligentia, aut defectus Pralatorum suppleatur, etiam Ecclesia vacante?

Si Episcopus in administratione suae jurisdictionis negligens sit, moneri quidem, à suo Archiepiscopo, & compelli poterit sub interminatione poenae alicujus competentis, ad obligationi suae satisfaciendum, illius tamen jurisdictioni non devolvitur ad Archiepiscopum, praeterquam in casibus jure expressis, in materia enim prohibitoria (sicuti prohibi-